

## Scholae Benedictinae

sive

### De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti auctis, excultis, propagatis et conservatis Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affligeniensis Monasterii  
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

(Fortsetzung zu Heft III. 1896, S. 398—416.)

Liber tertius: De Monachis Academiis frequentantibus.

I. Caput XV. Quomodo Monachi missi fuerint ad Academiis.

Multa mihi de aliis scientiis et artibus, quas Ascetae nostri didicere, et publicis in Scholis auditoribus explicaverunt, dicenda forent, sed suis ea locis commodius, ne saepius repetita fastidium creent, referentur. In lucem ac celebritatem e claustris nos modo vocat Benedictus Papa XII. virtute ac eruditione clarissimus. Is collabentem Benedictini Ordinis disciplinam restituere aggressus, quum ex neglecto divinarum humanarumque literarum studio malum vires sumere vidisset; inter alia celebris illius Constitutionis, quae Benedictina nominatur, decreta magnam eruditionis Monasticae rationem habendam censuit. Hinc primum statuit,<sup>1)</sup> ut in quibuslibet ecclesiis Cathedralibus (quales Monachorum in Anglia aliquot fuerunt), Monasteriis, Prioratibus, et aliis conventualibus et solemnibus locis, quibus ad hoc suppetunt facultates, deinceps habeatur Magister, qui Monachos eorum doceat in scientiis primitivis, videlicet Grammatica, Logica et Philosophia. Praescribit dein mercedem, seu minerval huiusmodi Magistro, quotannis dependendum, vultque Monachos dociles scholis admoneri, locum tempusque statui, quibus lectionibus, quibusve divinis officiis seu obsequiis aliis opportunis intenderent.

Benedicti XII.  
de primitivis  
scientiis  
Constitutio.

Quia vero plurima nostri Ordinis Coenobia ex recepto nec omnibus probato Cluniacensium ritu, tam multas horas die ac nocte in Psalmodia collocabant, ut vix aliquid temporis superesset, quod lectioni, et bonarum artium meditationi tribueretur: sapienter ab eodem Pontifice statutum fuit, ut Ascetarum aliqui, quos ad id Praelati, adhibito seniorum consilio, delegissent, ad generalia Studia, seu Academiis mitterentur. Sed ipsa Constitutionis demus. Ceterum<sup>2)</sup> quia expedire dignoscitur, ut postquam praefati Monachi in praedictis scientiis primitivis eruditi fuerint, ad sacrae Theologiae, vel Canonum transeant facultates: statuimus et ordinamus, ut Ecclesiae,

De Monachis ad  
Generalia  
Studia  
mittendis.

<sup>1)</sup> Benedict. cap. 6. — <sup>2)</sup> Benedict. c. 7.

Monasteria, Prioratus, et alia loca huiusmodi, singula videlicet eorum cum suis membris inferius declarandis, de quolibet numero vicenario Monachorum, unum aptum pro fructu maioris scientiae acquirendo, ad generalia seu solemnia Studia mittere teneantur: et cuilibet ipsorum mittendorum de infrascripta pensione providere.

Angliae Praesules in refractarios poenas statuunt.

Morem gessere ut credere par est, non pauci per Italiam, Hispaniam, Galliam, et Angliam praesules. Certe in ipsa Anglia Abbates in Capitulo quodam Provinciali ita contra quosdam refractarios statuerunt:<sup>1)</sup> Cum felicis memoriae Benedictus Papa XII. ad nostrae Religionis honorem non modicum nuper decreverit, quod ex singulis Monasteriis nostri Ordinis de quolibet vicenario numero Monachorum mittatur ad studium unus aptus pro fructu maioris scientiae acquirendae; ac contra non mittentes poenas statuerit valde graves, sintque adhuc, sicut ex multorum relatu didicimus, quidam nostrae Religionis Praelati, quos nec papale statutum, nec ipsarum poenarum metus emollit, ut de suis Monachis mittant ad studium continuandi gratia iuxta numerum praetaxatum: Nos eorum rebellionem, quatenus in nobis est, confundere cupientes, statuimus ut Praelati nostri Ordinis quicumque, qui virtute Constitutionis papalis praedicta aliquem, vel aliquos de suis Monachos ad studium mittere sunt adstricti, nec tamen hoc faciunt, ut tenentur; ultra poenas per Summum Pontificem contra tales statutas, nomine etiam poenae solvant annis singulis pro quolibet quem mittere tenerentur ad studium, et non mittunt, domnis Praesidentibus, qui pro tempore fuerint, decem libras in usus communes Ordinis convertendas. Ita illi.

De quonam vicenario agat Constitutio.

Pergit vero Pontifex, explicatque ut intelligendus ille numerus vicenarius: Sic autem, inquit, huiusmodi numerum vicenarium volumus computari: ut illi dumtaxat Monachi numerum ipsum efficiant in hoc casu, qui sunt seu erunt in Ecclesiis, Monasteriis, et locis principalibus subiectis, habentibus octo Monachos sive plures: et hi solum cum Monachis Ecclesiarum, Monasteriorum, et locorum principalium huiusmodi in computatione ac missione huiusmodi coniungantur. Declaramus insuper, quod si forsitan ultra dictum numerum vicenarium aliqui superessent, qui tamen vicenarium alium non complerent, non propter hoc arceantur superiores eorum, eorumque capitula seu conventus aliquem mittere ad studia praelibata: nisi alias essent ad mittendum plures adstricti virtute consuetudinis, statuti vel ordinationis alterius cuiuscumque, quibus per haec non intendimus in aliquo derogare. Hactenus Pontifex. Quia vero plurimi opinabantur, ut eiusdem Capituli Anglicani

<sup>1)</sup> Exstat in Apost. Bened. Angl. script. 75, c. 5.

acta habent, quod de nullo numero pauciori quam vicenario, scholarem aliquem vel scholares tenerentur virtute Constitutionis Benedictinae mittere ad studium generale; ipsorum opinioni erroneae idem Benedictus XII. in quadam bulla eiusdem Constitutionis declaratoria, obviavit his verbis: Si vero fuerit Ecclesia, Monasterium, vel locus alius principalis, in quo vicenarius numerus non existat, sit tamen ibi numerus maior senario; teneantur Visitatores per Provinciale Capitulum deputati, cum in eis Visitationis officium exercebunt, inquirere de facultatibus et oneribus eorundem, et si huiusmodi oneribus supportatis invenerint facultates sufficere pro uno vel pluribus Monachis ad dicta studia destinandis, relationem de hoc faciant in Provinciali Capitulo subsequenti, in quo Praesidentes cum consilio et assensu maioris partis Capituli ordinent, auctoritate Apostolica iuxta huiusmodi suppentiam facultatum de uno vel pluribus Monachis ad dicta studia destinandis. Ita Constitutionem suam interpretatus est Benedictus.

Quid si vicenarius ille non habeatur.

Enimvero ne sine delectu atque ex sola Praelatorum favore Monachi ad Academias mitterentur, prudenter ab eodem Pontifice decretum fuit, ut ea missio per suffragia fieret. Isti rei voluit, quod quivis Antistes Cathedralis Ecclesiae Monachalis, Octo probos et seniores Monachos ipsius Ecclesiae per eius capitulum seu maiorem partem ipsius eligendos (inter quos non ut Praelatus, sed ut Monachus dumtaxat vocem habeat) iuramento obstringat ad nominandum et eligendum secum mittendos Monachos antedictos. Quilibet vero Abbas, vel Prior, vel alius locum conventualem et solemnem obtinens quattuor Monachos eligat de suo Monasterio seu loco, seniores, quos esse sinceriores in zelo et discretiores in iudicio existimaverit: et corporali iuramento adstringat eosdem, quod reiectis gratia, odio vel timore, quibuscumque et qualibuscumque, secundum Deum, et prout magis expedire viderint personis et locis, cum consilio Instructoris, si Monachus fuerit, Monachos instructos in primitivis scientiis nominent ad praedicta studia mittendos. Ita fere de ipsis Electoribus Constitutio.

Mittendi ad Academias a quibus eligantur.

Nec minus sapienter dum electionis tempus his verbis restringit, et Electores quasi in orbe circumscribit. Et ut haec celerius, et expedientius compleantur, ordinamus, quod dicti seniores statim cum electi fuerint, et iuramentum praestiterint, includantur in aliquo loco secreto, de quo nullatenus permittantur exire, donec infra diem inclusionis huiusmodi, in scriptis eorum Abbatibus, vel aliis Superioribus proxime dictis nominaverint et eligerint supradictos ad studia destinandos. Quod si non fecerint, elapsa die huiusmodi ad ipsos Abbates et supradictos eligendi et licentiandi eosdem potestas

Quomodo electio fiat.

libere devolvatur: qui secundum Deum, et bonam conscientiam infra tres dies immediate sequentes, dociles et aptiores, licentiarum teneantur ad praedicta studia transmittendos. Tempus vero missionis ita definit: In festo Exaltationis S. Crucis, vel circa ipsi taliter nominati et electi in studio Parisiensi existant, qui Parisios fuerint destinandi, in aliis vero studiis in festo S. Lucae, vel circa infallibiliter sint praesentes.

In  
Praelatos  
negligentes  
Sum.  
Pontifex  
poenas  
decernit.

Neque his contentus Pontifex, poenas gravissimas statuit in Praelatos, qui tam in electione seniorum, quam in tempestiva missione ad studia negligentes fuerint. Vult enim ipsos in aere multari; et ad omnia et singula praedicta complenda per censuram ecclesiasticam, et alia iuris et ipsius Ordinis seu Religionis remedia compelli. Recepta et in usum deducta fuisse

haec decreta, vel inde colligimus, quod in Capitulo Provinciali Benedictinorum Anglorum celebrato apud Northamptonam anno M.CCC.XXIII. Priores Studii Cantabrigensis et Oxoniensis graviter apud Patres questi legantur de quorundam Abbatum negligentia. Unde, ut habent acta tertiae diei eiusdem Synodi:<sup>1)</sup> In crastino singulis congregatis ad horam primitus limitatam, primo multati sunt Praelati suos Scholares minus tarde, vel minime ad studia transmittentes, per decretum. In Dei nomine. Amen. Nos auctoritate, qua fungimur, multamus Patres subscriptos, summa taxata per Constitutiones Benedictinas, pro defectibus et negligentibus eorumdem de non mittendo Scholares ad Studia generalia, ut tenentur, videlicet Abbatem de Abbotesbury, Abbatem de Tanestehe, Abbatem de Burten, Abbatem de Micholney, Abbatem de Hyda, Abbatem Cestriae, Abbatem Malmesbury, Abbatem Abbendoniae, Abbatem Eueshamiae, Abbatem Westmonasterii, Abbatem Clocestriae. Haec ibi.

II. Caput . . . Quales electi et missi ad studia. Pensio ipsis assignata. Qua disciplina simul habitaverint.

Quales ad  
Studia  
mittantur

Neque stetit hic cura et sollicitudo optimi Pontificis, verum quum probe nosset verissimum esse illud Sapientis acroama, In malevolam animam non intrabit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis; sapienter omnino canit, ne ad literarium mercatum alii mitterentur, quam qui virtutem cum doctrina comparare, et excolere deinceps possent. Inde est, quod senioribus ita praescripserit:<sup>2)</sup> Nominent seu eligant quos dociles esse noverint, et vitae ac morum honestate decoros, ad puritatem Religionis tenendam, et ad acquirendum fructum scientiae aptiores. Paulo ante requirit, ut mittendi ad studia sint in observantiis regularibus informati. Quem locum doctissimus noster

<sup>1)</sup> Apost. Angl. app. p. 3. script. 73. — <sup>2)</sup> Benedictina c. 7.

Boerius in MS. huius Bullae commentario. Paucis in iis (Observantiis) bene informantur; et ideo evenit, quod plus curent de seculo quam de Claustro. Tales enim sunt mundiales, non regulares. Ubi ad marginalem oram aliquis, vel ipse auctor, pro dolor! ita est. Quaerit vero idem Boerius explicans qualitates mittendorum, sed nunquid taliter electi, si ire recusent, et contemplationi vacare desiderent, compelli debent? Respondet affirmative, probatque ex variis Capitulis.

Ceterum in delectu attendi voluit Pontifex, ut eligantur Monachi mittendi, prout in scientia Theologiae, vel Juris Canonici, seu magis in una quam alia ipsarum aptiores poterunt inveniri. Sic tamen, quod si apti reperiantur pro ipsius Theologiae studio, ad minus medietas mittendorum pro ipso Theologiae studio destinetur, vel etiam quanto plures aptiores potuerint inveniri: ac reliqua medietas ipsorum mittendorum, ad ipsius Juris Canonici studium transmittatur. Sed ut accuratius ista in usum conferri possent, prudenter admodum abs Henrico I. Abbate Cluniacensi XXIX. cautum est, ne ullus sine praevio examine admitteretur. Hinc quum Priores et Decanos a Cluniaco dependentes hortatus esset, uti ad Collegium Cluniacense, quod Parisiis erat, mitterent Monachos ad proficiendum et studendum docibiles, aptos mente et ingenio, et potissime in Grammaticalibus ad minus sufficienter fundatos; praecipit<sup>1)</sup> in virtute obedientiae Priori Scholarium, vel alii a se, vel successoribus ad id agendum deputato, quod nullum pro pensionario et studente ibidem a modo recipiant, nisi sufficienti examinatione recipiendorum per se facta, aut per ipsum Priorem Scholarium, seu alium loco suo ad faciendam examinationem huiusmodi deputandum. Additque: Quibus Priori et deputando a nobis et successoribus nostris, praecipimus in virtute obedientiae, quod in actu examinationis huiusmodi, in sinceritate animi faciendae, affectionibus inordinatis semotis, nemini deferentes, docibiles, idoneos, ac sufficientes tantummodo recipiant, alios minus idoneos et insufficientes repellendo, et ad propria loca unde venerant, remittendo.

Quod ad mittendorum qualitatem spectat, Patres Synodi Benedictinae in Anglia, senes Monachos, et ambitiosos, ad studia mitti vetant geminis statutis, quorum prius sic habet:<sup>2)</sup> Licet in senibus sapientia vigeat, et venerabilis sit senectus, sunt tamen communiter ingenii obtusioris, quam iuvenes, et ad studendum in Physicis minus apti; ac in Benedictinis Constitutionibus statuatur, ut tales eligantur ad studium transmittendi, qui dociles fuerint et ad acquirendum fructum scientiae aptiores: statuimus, ut futuris temporibus senes et aetate

Praevio  
examine

Neque  
senes neque  
ambitiosi

<sup>1)</sup> Biblioth. Cluniac. pag. 15. 19. — <sup>2)</sup> Apost. Angl. Script. 75, c. 5, p. 200.

profecti pro Philosophia addiscenda ad studium non mittantur. Alterum statutum sic expressere:<sup>1)</sup> Districte prohibemus, ne quis nostrae Religionis Monachus contra vel praeter sui Praelati voluntatem, saecularium quorumcumque preces vel litteras procuret, vel faciat procurari, ut ad Studium transmittatur, aut in Studio detineatur, sive ad gradus quoscumque Studii promoveatur, suo Praelato nesciente, vel etiam hoc nolente. Addunt vero poenam: Statuimusque, quod si quisquam nostri Ordinis, preces vel litteras, per se vel per alium praesumpserit procurare, ac super hoc convictus exstiterit: eo ipso absque causa alia qualicumque, si nondum ad Studium missus fuerit, reddatur inhabilis ut ad studium transmittatur. Quod si iam in Studio, constiterit, eo ipso etiam per suum Praelatum revocetur a Studio, deinceps ad Studium non mittendus. Sic illi.

Ipsi tamen aliquando Priores aliique officiales. Ex Benedicti Papae Constitutione colligemus non tantum simplices Monachos in Academiis operam litteris navasse, verum et Priores aliquos forte rurales, et Beneficiatos, quos etiam Priori studentium seu Praesidi cuiusque Collegii subesse voluit. Patres tamen Capituli in Anglia celebrati, vetuerunt Priores Claustrales ad Studia mitti hoc decreto:<sup>2)</sup> Quantumcumque dociles fuerint, vitaeque ac morum honestate docentes, et ad inquirendum fructum scientiae aptiores: prohibemus tamen eos, sive perpetui fuerint, sive mobiles, mitti, vel eligi ad generale Studium, ut studentes; nisi ipsi perpetui gratis officiis renunciare voluerint, aliique mobiles a suis officiis etiam absolvantur.

Pensiones determinantur De sumptibus autem, quos pensiones Studentium Pontifex nominat, ita ab eodem decretum reperias:<sup>3)</sup> Sane quia prosecutiones liberalium studiorum, praecipue in generalibus seu secularibus Studiis, diversa requirunt onera expensarum: Nos huiusmodi Monachis mittendis ad ipsa Studia, et pro eis et aliis ratione dictorum studiorum pensiones in quantitibus subsequendis providemus fore annis singulis ministrandas, et transmittendas: videlicet Magistro in Theologia in Studio generali legenti sexaginta, Baccalaureo nec non Scholari Theologiae quadraginta; Doctori decretorum Jura Canonica in huiusmodi Studio legenti quinquaginta, Baccalaureo vero seu Scholari canonistae triginta quinque libras Turonensium parvorum, vel earum valorem in alia moneta tam pro victualibus, vestimentis et calceamentis, quam pro libris et quibuscumque aliis necessitatibus eorundem. Exigua sane ad tantos sumptus pecunia, ut credo necessum fuit Scholares istos insigniter defraudare genium suum. Sed prudentissimus Pontifex abstinentia et frugalitate ingenium

<sup>1)</sup> Ibidem pag. 201. — <sup>2)</sup> Ibid. pag. 198. — <sup>3)</sup> Bened. cap. 8.

excitari et vigere, largiore cibo et potu hebetari et obrui non ignorabat, maluitque adeo Studiosos Monachos plus olei, quam vini consumere. Mimirum ut vetus dictum habet: Venter pinguis non gignit subtilem mentem: ἡ παχὺς γαστήρ οὐ τίκει λεπτοῦ νόου.

Videamus porro quantum in singulos annos Monacho Theologiae operam danti tribuendum censuerit. Clarius describuntur.

Assignat igitur quadraginta libras Turonensium parvorum. Curribilium scilicet, inquit in hunc locum Boerius, bene parvorum et parum utilium. Ex his tamen parvis denariis saepius multiplicatis conflabatur libra Turonensis, ut ex ducentis quadraginta grossis conficitur libra grossorum, seu Flandrica sex florenorum Brabanticorum. Quot florenis constiterit Turonensis libra nusquam legere memini, neque satis olim inter quosdam de legitimo eius pretio convenisse colligas ex iis, quae in Benedictinorum Anglorum Capitulo, cuius ante mentio facta est, his verbis referuntur: Et quia vertitur in dubium penes quosdam ad quantam summam monetae Anglicanae taxa istorum pernorum parvorum Turonensium se extendat, quanquam aliqui ad minus, aliqui ad maius aestiment in valore: nos tamen omnem huiusmodi dubietatem tollere cupientes, decernimus quatuor Turonensium pernorum sterlingo Anglicano in pretio coaequari. Ita quod sexaginta librae illorum Turonensium aequivaleant libris quindecim sterlingorum: et sic communiter iuxta summarum aequivalentiam in ipsis Benedictinis taxatarum semper equiparando quatuor Turonenses huiusmodi ad sterlingum, omnibus studentibus, tam Doctoribus quam Scholaribus ministretur: nec minus sufficere credimus his diebus, propter victualium et aliorum necessariorum excessivam caristiam, quae modernis temporibus plus solito inolevit. Ita Patres illi. Ex quibus pretium librae Turonensis exsculpere possumus. Nam quum dicunt quindecim libras sterlingorum aequivalere sexaginta libris pernorum seu parvorum Turonensium, et libra sterlingorum a Riliano aestimetur novem florenis Brabanticis, hinc habemus, libram Turonensem fecisse duos florenos cum quinque stufferis Brabanticis: quadraginta igitur Turonenses librae Theologiae studioso assignatae conficiunt nonaginta florenos Brabanticos.

Hanc pecuniam Pontifex certo tempore mitti, et studiosis adnumerari voluit, decretis in negligentes vel impediennes poenis et censuris. In quos vero usus potissimum expendenda sint, ita praescribit: Quilibet Scholaris habeat pro quotidianis expensis viginti libras dumtaxat, hoc est, quadraginta quinque florenos; et pro vestimentis et calceamentis sex libras tantum; de residuo vero emantur libri, ac provideatur ei de ipsis quae ratione infirmitatum, vel alias necessaria sibi erunt. Neve nummos studiosi prodigerent, Priori ipsorum in mandatis datum ut sedulo invigilet, quod Monachi

De solvendis et insumendis pensionibus.

studentes expensas faciant moderatas, et non superfluas, vel aliquatenus excessivas: eosque cogat ad reddendum de receptis et expensis in fine cuiuslibet mensis (vel prout alias sibi videatur) rationem illi, vel illis providis et discretis, quos idem Prior ad hoc duxerit deputandos. Hoc freno coerciti quidam parum ad rem attenti, alii sensim parsimoniam in curandis tantillis nummis adhibere docti. Namque et usu illius aevi, cuique licitum erat, pecuniam sibi destinatum expendere. Quia vero comparandis libris plusculum Pontifex concesserat, etiam necessarium existimavit eorundem venditione, alienatione Monachis interdicere. Hinc poenas decernit in transgressores his verbis: Si quis de studentibus per se, vel per alium, librum seu libros huiusmodi distraxerit aut obligaverit (nisi pro utilioribus vel pluribus libris emendis, et tunc de licentia Superioris sui petita humiliter et obtenta) eo ipso sit inhabilis per biennium ad quodcumque beneficium obtinendum. Et nihilominus ad Claustrum suum de studio revocetur, et loco sui alius subrogetur: et etiam per Superiorem suum (prout facti qualitas exegerit) alias graviter puniatur.

De studen-  
tium disci-  
plina

Jam si cui animus est nosse, qua disciplina in Academiis Monachi vixerint, non aliud dicere habeo, quam initio secundum Benedictinam Constitutionem habitasse simul, vel denos in diversis aedibus, sub cura et directione Prioris; postea in Collegiis, quae Praelatorum sumptibus constructa legimus, certis constrictos legibus, magno numero vitam agitasse. Pontificis autem haec erat voluntas: Provideant quoque Praesidentes et alii Praelati convenientes in ipso Capitulo provinciali, quod Monachi ad dicta studia transmittendi (prout communis et commodius fieri poterit) distributi in simul commorentur saltem deni ad minus: et deni huiusmodi non possint ultra quatuor servitores habere, computato in eis coco, seu servitore coquinae. Ubi Boerius noster: Non dicit cocis in plurali, quia Monachi cibo, qui est olerum et pomorum ac leguminum, et facilius apparatus est, et arte impendiisque cocorum non indigent. Sic ille. Ecce tibi causam ex multis non minimam, cur Pontifex tam parce et modice Monachis Academicis nummos distribui voluerit.

Speciatim  
Anglorum.

Ceterum quid etiam de Monachorum suorum in studiis cohabitatione statuerint Anglicani Abbates ex variis eorum Capitulis depromere libet: <sup>1)</sup> Statuimus ut Prior Studentium quatenus ei possibile fuerit, sic de mittendis ad Studium ordinet, ut de eis quanto plures poterunt pariter hospitentur, nec quovis modo permittat, ut unus inter seculares sine secum cum monacho moram trahat, cum scriptum sit: Vae soli, quia cum

<sup>1)</sup> Ubi supra p. 199.

ceciderit, se sublevantem non habet; et: Melius est duos esse simul quam unum. Quum vero postea in Collegiis omnes simul habitarent de muscis et cubiculis haec decreverunt: <sup>1)</sup> Cum iuxta Constitutionem Benedicti papae duodecimi, quanto plures studentes poterunt pariter, debeant convocari: decernimus ut Priores loci, et studentes sic ordinent de cameris ac studiis, quod ultra anni medietatem non vacent, si qui nostri Ordinis fuerint, qui ea voluerint occupare, hoc tamen observato, ut cum quis de domo seu de Monasterio cuius sumptibus aliqua camera aedificata fuerit, seu notabiliter reparata, illuc venerit ad studendum, huius auctoritate statuti eam ingredi libere valeat, ac pacifice possidere, teneaturque quicumque, qui eam prius occupaverat, absque contradictione et difficultate quacumque exire.

Observavit quoque Clemens Reyneri non tantum fuisse publica Monachorum Collegia Cantabrigiae et Oxonii, sed et particularia Collegia Albanense, et Dunelmense, ibidem pro ipsis Abbatibus aedificata, quae nunc vocentur, Aula Albanensis, et Collegium Trinitatis. In privatis his Monasteriorum aedibus maxime usu receptum forte fuerit, quod Abbates ita extulerunt: Si plures Monachos de uno Monasterio ad Studium mitti contigerit, unus eorum, cui hoc suus Praelatus commiserit, curam habeat alterius seu aliorum, si plures quam duo exstiterint, et circa illos diligenter intendat, ut in Religione ac studio se gerant, et proficiant sicut decet: nec alicui liceat eorundem alicui Monacho alterius Monasterii confiteri, aut ab aliquo tali recipere sacramentum, nisi in casu quo voluerint ex causa legitima confiteri Priori Studentium, vel ab eo aut alio praedictum (recipere) sacramentum, in casu quo nullus sui Monasterii voluerit aut potuerit illo die illi Eucharistiam ministrare.

De Abbatiarum Collegiis.

(Continuatio in fasc. seq.)

## Die Cistercienser beim Mahle. Servitien und Pitantien.

Von Ludwig Dolberg in Ribnitz.

Servitien waren für einen klösterlichen Convent gestiftete Mahle. Das zeigt die erste auf ein solches bezügliche Urkunde des Mecklenburgischen Urkundenbuches I. 603. vom 22. März 1248. Nach ihr sollte das vom Fürsten Heinrich Borwin III. für die Brüder zu Doberan bestimmte »aus Weissbrod, Fischen und Wein« bestehen,

<sup>1)</sup> Capit. Provinc. an. 1343, c. 19.